

ejus est, quia dignitas operis non pendet ex pacto aut promissione Dei; ergo opera beatorum non ideo non sunt meritoria de condigno augmenti gloriæ, quia Deus non ordinavit illa ad meritum, nec promisit illis præmium, sed quia ex se condignitatem non habent; ergo quod ille status non sit status meriti, non est ex divina ordinatione, sed ex intrinseca natura ejus, et ex conditione operum, quæ in illo fiunt. Antecedens supponit, et infra est a nobis tractandum, et secunda consequentia nota est. Primam autem probat, quia absonum est dicere beatos, quotidie digniores fieri majori præmio æternæ gloriæ, et Deum negare illis remunerationem, nec velle illis eam promittere. De statu autem merendi gloriam accidentalem sibi, vel aliquod bonum alteri, censet illum etiam in beatitudine permanere, quia status viæ, ut opponitur statui beati, nihil ad hoc confert, sed satis est status perfectæ justitiæ cum carentia illius præmii, quod per opus bonum et liberum comparari potest.

18. *Confutatur primo.* — Sed in primo puncto, quamvis, ut dixi, satis connaturale sit visioni beatæ constituere hominem in termino excludente statum amplius merendi illud essenziale præmium, nihilominus non censeo excludendam esse divinam ordinationem, et promissionem talis præmii sub conditione operum hujus vitæ, et non illius; infra enim ostendam hanc promissionem esse necessariam ad proprium et consummatum meritum de condigno. Neque etiam probo, quod opera bona libere facta a beatis, eo ipso quod a videntibus Deum fiunt, quamvis non fiant ab illis, ut beati sunt, non solum non esse actu meritoria, sed etiam de se non esse digna tali præmio, id est, proportionata, et apta ad tale meritum, si Deus illa ordinare voluisset. Nam alias sequeretur non potuisse Deum, etiamsi vellet, opera illa ad essenziale præmium augmenti gloriæ ordinare tanquam illius meritoria de condigno. Sequela patet, quia si opus in se non habet condignitatem, et proportionem ad præmium, non potest Deus sola sua voluntate efficere ut sit dignum, ut idem Auctor late docet, et infra videbimus, et ita existimo facile concessurum esse sequelam. Mihi autem, ut verum fatear, consequens videtur valde absurdum, quia non est tam facile negandum potentiæ divinæ, quod neque apparentem implicationem contradictionis habet. Et ratio a priori est, quia illa opera facta in beatitudine non sunt minus

supernaturalia, nec minus bona et libera, nec a persona minus grata, quam facta in via; sed opera non habent proportionem ad meritum de condigno, nisi ex illis conditionibus; ergo de se illa opera non sunt minus digna. Accedit quod visio beata non est circumstantia talium operum, sed tantum concomitanter se habet in eadem persona; quod ut sit certius, ponamus talia opera non fundari in ipsa visione, sed in alia cognitione supernaturali extra Verbum, quam beati habent; ergo visio ut sic, sicut non confert dignitatem illis operibus, ita neque aufert, nam opus morale solum ex objecto et circumstantiis suam dignitatem accipit, et ita solum ex defectu illarum eandem amittit. Denique alias etiam opera Christi de se non haberent dignitatem, et sufficientiam ad merendum de condigno augmentum gratiæ animæ suæ, etiamsi Deus ad illud præmium illa ordinare voluisset, quod ego certe dicere non audeam. Et sequela, consequenter loquendo, manifesta est, quia, juxta illam sententiam, etiam opera Christi non ideo de facto non meruerunt illud augmentum, quia non fuerunt ad illud merendum ordinata, sed quia, supposita visione, etiamsi fierent a tali persona, jam non erant digna talis augmenti.

19. *Urgetur apertius exemplis animarum purgatorii, et Eliæ atque Enoch.* — Magis autem hoc declaratur in exemplis tractatis de animabus purgatorii, et Eliæ et Enoch; nam illi non sunt extra statum viæ propter visionem; ergo non ex natura rei. Dictus vero Auctor virtute negat consequentiam, et ita sentit, ut dixi, visionem esse sufficientem rationem excludendi statum merendi præmium essenziale, non tamen adæquatam. Si autem quæretur quid sit in illis personis, quoad animas purgatorii rationem reddit hic auctor his tantum verbis: *Non permanent in statu merendi, quia jam sunt extra statum viæ, et agnis sua natura destinati in tale præmium.* Hæc autem ratio petit principium; hoc est enim quod hic agimus, cur, scilicet, solus status animæ conjunctæ corpori corruptibili sit natura sua destinatus ad viam et statum merendi, et non status animæ separatæ non videntis Deum. Item non minus hic urget ratio facta, quod opera animarum purgatorii sunt ex fide, et auxilio gratiæ, etc.; cur ergo de se non sunt condigna et apta ad tale meritum? Nam solum differunt in hoc, quod anima sit conjuncta, vel separata a corpore, quæ non est circumstantia de se augens, vel

minuens valorem operis. Ac denique ex ea parte, qua talia opera sunt ex fide, incredibilius est non potuisse Deum, etiamsi vellet, concedere illud tempus animabus purgatorii, vel animabus Patrum in sinu Abrahæ, ad merendum de condigno augmentum gratiæ et gloriæ, libere et cum gratia Dei bene operando. Nam si id potuit Deus, cum sola sua voluntate non possit facere ut sint digna opera quæ digna non erant, necessario sequitur nunc opera talium animarum digna esse, vel fuisse, et ita ruit fundamentum illius sententiæ; dicere autem id fuisse impossibile Deo, incredibile est. Denique evidens esse videtur in Enoch et Eliæ, de quibus etiam ille auctor fatetur esse extra statum merendi de condigno vitam æternam, et nihilominus in hoc persistit, quod illud etiam sit ex natura rei, et consequenter quod opera illorum non sunt digna. Unde etiam fit consequens, ut etiam de potentia absoluta non potuerit Deus illis hominibus concedere statum merendi, simul cum illo modo vivendi, quem nunc habent, quod multo certe est incredibilius, cum illa diversitas, quæ est inter illos et nos, sit valde extrinseca, et accidentaria, et non sit circumstantia per se pertinens ad valorem vel dignitatem operum. Neque etiam est ulla ratio quæ probet hunc modum vivendi in vita mortali, connaturalem illi, esse ita essentialem ad meritum de condigno, ut sine illo non possit in homine mortali etiam de absoluta Dei potentia inveniri. Neque dictus auctor aliam rationem affert, nisi, *quia peculiari Dei ordinatione in eo statu et loco extra communem modum reservantur, ut novis operibus nihil amplius mereantur.* In quibus verbis non solum petit principium, ut dixi, sed etiam ex sola divina ordinatione rationem sumit, ipsius rei profecto necessitate coactus, quia revera non potest aliunde vera ratio desumi. Inconveniens autem quod sæpius repetit et exaggerat, scilicet, quia illæ personæ suis operibus fierent dignæ majori gratia vel gloria, et Deus nollet illam dare, laborat in æquivocatione illius verbi *dignæ*; si enim intelligatur de dignitate actuali, quæ jus justitiæ tribuat, nihil tale sequitur, quia hæc dignitas sine promissione et pacto divino non invenitur, ut infra ostendam. Si vero sit sermo de dignitate (ut ita dicam) aptitudinali quæ solum dicit sufficientiam quamdam et proportionem ex parte ipsorum operum, sic nullum est inconveniens quod infertur, sed potius est suis temporibus secundum convenientem Dei

providentiam necessarium, ut evidenter ostendi potest in operibus Christi Domini etiam in statu viæ, quia de se sufficientia erant ad majorem gloriam animæ promerendam, et nihilominus secundum convenientem Dei providentiam ad illam ordinata non fuerunt.

20. *Confutatur secundo.* — In alio puncto indistincte loquitur ille auctor de merito condigno et congruo; nam loquitur de potestate merendi, tam sibi quam aliis; certum est autem nullam puram creaturam posse aliis de condigno mereri, ut capite sequenti dicemus. Nos autem in præsentem solum de merito condigno tractamus, et respectu illius nihil inter præmium accidentale vel speciale distinguendum putamus, et ideo absolute dicimus, statum viæ necessarium ad merendum præmium essenziale esse etiam necessarium ad merendum de condigno præmium accidentale. Et ideo longe verius esse credimus beatos non mereri de condigno accidentalia præmia, sicut neque animæ beatæ merentur de condigno resurrectionem vel glorificationem suorum corporum, ut omnes Theologi docent. Quid vero de merito congruo dicendum sit, postea videbimus.

CAPUT XVI.

UTRUM AD MERITUM DE CONDIGNO NECESSARIUM SIT UT ALIQUIS SIBI MEREATUR, VEL POSSIT ETIAM ALTERI TALE MERITUM COMMUNICARI?

1. *Quemque sibi mereri posse ostenditur.* — Hæc quæstio partim pertinet ad conditiones necessarias ex parte merentis, partim postulat explicationem alterius termini, seu personæ ad quam potest meritum referri, ut in eam ejus effectus seu præmium conferatur. Est autem certum posse unumquemque sibi mereri; tum quia, sicut meritum fundatur præcipue in actu immanente voluntatis, ita ipsum etiam est quasi immanens, et ipsimet operanti laudem et utilitatem seu commodum affert; tum etiam quia ipse operans justissime potest sibi intendere præmium per opera sua; imo, ut supra dixi, etiamsi hanc formalem intentionem non habeat, per se et intrinsece imbibitur in ipso opere, si non excludatur; tum denique quia, licet causa meritoria ad sufficientem reducat, non est tamen causa physica, sed moralis, quæ ab alio expectat conferendum præmium, et ideo inter personam merentem et cui meretur, non requiritur distinctio. Potest ergo unusquisque

sibi mereri, quod etiam ex Scripturis, et testimoniis allegandis a fortiori convincitur, ut videbimus.

2. *Quod et alteri possit, arguitur primo.* — *Secundo.* — *Vide tomo de Pœnit., disp. 48, sect. 3.* — *Arguitur tertio.* — Difficultas ergo est an hæc conditio sit necessaria, vel possit etiam unusquisque justus aliis de condigno mereri. Et ratio dubitandi esse potest primo, quia justus, merendo, quodammodo facit suum, id quod meretur; nam, licet illud non statim recipiat, acquirit in illud quoddam justitiæjus apud Deum, quod moraliter dominio et possessioni æquivalet; ergo potest efficaciter illud alteri donare, nam hoc ei liberum est et nulla lege prohibetur; ergo si justus operans intendat alteri de condigno mereri, et quasi jus suum in illud transferre, revera illi merebitur. Secundo, suadet hoc exemplo satisfactionis pro temporali pœna, nam potest unus justus pro alio condigne satisfacere, juxta doctrinam sanam et certam, quam ex materia de pœnitentia suppono; ergo et mereri. Probatur consequentia, nam ideo potest satisfacere pro alio, quia est veluti dominus illius pœnæ, quam ad satisfaciendum voluntarie sumit, et potest alteri illam donare; sed in hoc videtur esse eadem ratio de merito et præmio, ut propositum est; ergo. Tertio, argumentari possumus exemplo Christi, qui gloriam animæ, quam sibi mereri non potuit, aliis meruit, quasi donando illis merita sua; cur ergo non poterit idem facere unusquisque justus? Nam, licet meritum Christi in aliis infinite excedat propter dignitatem personæ, quoad hoc tamen videtur esse eadem ratio, quia hæc potestas non videtur fundata in excellentia personæ, sed in sola libertate donandi, et jus suum in alium transferendi.

3. *Assertio negativa.* — *Probatur primo ex Scriptura.* — *Secundo ex doctrina Ecclesiæ.* — Nihilominus dicendum est neminem justum, sive Angelum, sive purum hominem, posse aliis mereri de condigno, sed sibi tantum. Ita sumitur ex D. Thoma, dictâ quæst. 113, artic. 6, ubi expositores id tanquam certum supponunt. Idemque communiter docent in 3 part., quæst. 1, art. 3, et quæst. 19, et reliqui Theologi in 3, d. 20, tractantes de Christi merito; docent enim proprium et singulare in ipso fuisse aliis de condigno mereri. Et probatur primo ex Scriptura. Ubi quicumque enim loquitur de præmio justorum, dicit, *unicuique esse dandum secundum opera sua*, ut dicitur Apocalyp. ult.; vel quod *unusquisque*

refert propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum, ut dicitur 2 ad Corinth. 5; vel quod *unusquisque pro se rationem reddet*. Et specialiter de justis dicitur Apocal. 14: *Opera enim illorum sequuntur illos*; ergo quoad præmium beatitudinis nulli prosunt, nisi opera propria ex gratia facta, et meritis Christi conjuncta. Hæc enim Christi merita nunquam excludimus, neque etiam agimus de illa gloria, quæ correspondet gratiæ justis collatæ ex opere operato, propter solum Christi meritum; nam illa gloria non est proprium præmium nostrorum meritorum, sed est præmium meritorum Christi nobis applicatorum, et ita illud recipiunt, non per judicium suorum operum, sed per judicium, ut sic dicam, applicationis factæ meritorum Christi, et juxta gratiam per talem applicationem ex opere operato collatam; seclusa erga hac gratia et gloria illi respondente, ad tribuendum unicuique homini præmium gloriæ in divino judicio sola uniuscujusque hominis opera ponderantur, ut ex præcitatis locis constat, et ex forma judicii, Matth. 25; ergo unusquisque per sua opera sibi soli essentielle præmium meretur. Secundo, probatur ex doctrina Ecclesiæ, nam hic est communis sensus ejus, et ita universaliter proponitur fidelibus judicium, et retributio suorum operum. Et satis aperte docuit Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, dicens: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum JESUM misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddenda*. Ubi relativum illud *ipsorum* respective seu cum proportionem accommodata accipiendum est, id est, tanquam merces unicuique promissa secundum merita ipsius; sicut locutus est Paulus, quem statim Concilium allegat, 2 ad Timoth. 4, dicens: *Bonum certamen certavi, etc., in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, quia nimirum eam sibi, non aliis, suo cursu et certamine promeruit. Declarat autem idem futurum esse de reliquis, cum ait: *Nec solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus*. Atque hoc modo docet inferius idem Concilium, esse factam promissionem mercedis æternæ, scilicet, *ut qui vel potum aquæ frigide dederit, non sit sua mercede cariturus*. Neque unquam invenietur promissio illius beatitudinis propter merita alterius. Unde recte Hieronymus, Matth. 25, circa

parabolam de decem Virginibus, et circa responsum prudentum: *Ne forte non sufficiat nobis, etc.*: *Hoc* (inquit) *non de avaritia, sed de timore respondent. Unusquisque enim pro operibus suis mercedem recipiet, neque in die judicii aliorum virtutes possunt aliorum vitia sublevare*. Sic etiam dixit Chrysostom. homil. 13 ad populum, circa finem, unum non mereri aliis, sed unumquemque sibi, quia de factis suis unusquisque judicandus est. Præterea Augustinus, lib. 1 de Peccat. merit., capit. 14, et tract. 4 et 5 in Joan., docet proprium Christi esse, sanctificare alios, utique merendo illis gratiam vel remissionem peccatorum, sine quibus non potest gloria mereri. Accedit quod idem D. Augustinus, tract. 83 et 102 in Joan., docet neminem posse orando pro alio infallibiliter pro illo impetrare; ergo a fortiori sentit non posse unum alteri de condigno mereri, quia merito de condigno præmium infallibiliter respondet. Denique communis vox sanctorum Patrum est, quod in beatitudine Sancti meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus, ut ait Augustinus, serm. 59 de Tempore, et supra, lib. 9, late diximus, de augmento gratiæ tractando; ergo illud præmium unicuique tantum secundum meritum reddendum est.

4. *Prima ratio quorundam pro eadem assertionem.* — *Rejicitur primo.* — *Vasquez 1. 2, disp. 77, c. 3, d. 213, c. 5.* — *Rejicitur secundo.* — Ratio hujus veritatis multiplex reddi solet. Prima esse potest, quia operationem esse meritoriam nihil aliud est quam esse laudabilem; sed non potest unus reddere alterum laudabilem sua operatione, sed tantum seipsum; ergo nec potest alteri mereri, sed tantum sibi. Consequentia cum minori per se notæ sunt. Major autem probatur, quia ratio meriti ideo quasi connaturaliter sequitur ex actione morali et bona, quia est digna laude; ergo signum est rationem meriti consistere in quadam dignitate laudis, quæ laus vicem habeat remunerationis. Hæc tamen ratio mihi non probatur, quia falsum principium sine fundamento assumit. Quamvis enim aliqui moderni totam rationem meriti in dignitate laudis constituent, non satis video qua ratione vel probabilitate ratio meriti ita consistet. Primo, quia D. Thomas 1. 2, quæst. 21, artic. 2 et 3, distinguit in actu bono esse laudabilem vel esse meritorium, tanquam duas proprietates distinctas; esse autem actionem laudabilem, idem est quod esse laudem dignam, ut ex ipsa verborum proprietate con-

stat. Unde gratis commentatur quidam divum Thomam non intellexisse per laudabilem, esse laudem dignam, sed esse studiosum. Imo hoc etiam verbis D. Thomæ repugnat, nam inquit an actus bonus sit laudabilis; quis enim quærat an actus bonus sit studiosus, cum illæ voces in moralibus synonymæ sint? Inquit ergo an ex bonitate habeat actus quod sit dignus laude, et deinde inquit de merito tanquam de proprietate distincta. Deinde respondendo utrique quæstioni, eas ex diversis habitudinibus distinguit; nam bonus actus dicitur laudabilis, quia est imputabilis operanti, meritorius autem per ordinem ad retributionem. Unde notari potest duplex alia differentia: una est, quod actus non dicitur laudabilis respectu alicujus particularis personæ superioris, inferioris, vel æqualis, sed generaliter respectu cujuscumque recte judicantis; meritum autem dicitur respectu determinatæ personæ, apud quam quis meretur, quæ ordinarie superior et potentior esse solet. Alia differentia est, quod laus non respicit rationem seu obligationem justitiæ, sed solum dignitatem quamdam, seu proportionem, et ideo, licet opus bonum sit laudabile a quocumque, nemo tamen, per se loquendo, tenetur illud laudare, nisi aliunde obligatio proveniat, vel ex suppositione, quod de tali opere loqui velit; meritum autem dicitur per ordinem ad retributionem, quæ fit secundum justitiam ab eo, in cujus commodum vel honorem factum est opus, ut divus Thomas dixit; aliud ergo est meritum quam dignitas laudis. Præterea est evidens ratio, quia, si meritum nihil aliud esset quam dignitas laudis, præmium meriti nihil aliud esset quam laus, nam dignitas laudis sola laude satisficit. Consequens autem admitti nullo modo potest, quia beatitudo est potissimum præmium meriti. Respondet imo beatitudinem habere propriam ac veram rationem laudis. Sed hoc etiam novum est et incredibile, nam laus est bonum extrinsecum quod non inhæret laudato, ut videtur per se notum, nam propterea etiam ipsi Deo potest ex tempore advenire laus; beatitudo autem est bonum intrinsecum et inhærens beato. Item alias gratia quoad augmentum esset laudatio, quia est præmium meriti, et sic de cæteris bonis quæ propter meritum dantur operanti, non ut laudetur tantum, sed ut perficiatur, et hoc maxime respicit meritum. Denique si illa ratio in proposito vera esset, neque de potentia absoluta posset unus mereri alteri de condigno. Se-

quela patet, quia repugnat aliquem laudari digne propter opus alterius. Et ratio est, quia actus est laudabilis, quatenus est imputabilis operanti; nemini autem vere imputari potest opus alienum, sicut etiam nemo esse potest vituperabilis propter opus alienum. Si ergo nihil aliud est meritum quam dignitas laudis, non minus repugnabit mereri alteri, quam illum constituere laude dignum per opus alienum. Consequens autem est falsum, ut etiam de puris hominibus statim dicemus; idem autem in Christo Domino sequeretur, quia non potuit immediate et formaliter facere laude dignos suis operibus, licet potuerit nobis mereri auxilia, quibus opera laude digna faciamus, quia, ut dixi, nemo est propria laude dignus nisi propriis operibus. Unde etiam videtur ex illo principio inferri, nunc etiam justum non posse mereri de congruo alteri, quia etiam illud meritum consistet in aliqua dignitate laudis, quæ non potest alteri tribui, ut declaravi.

5. *Ratio altera, quæ pro assertione potest afferri.* — Secunda ratio assertionis principalis reddi potest, quia meritum de condigno radicatur in gratia sanctificante, ut diximus; gratia autem sanctificans uniuscujusque personæ ex natura sua solum tendit ad beatitudinem ejusdem personæ, et solum habentem constituit hæredem, sicut solum illum constituit filium; ergo gratia uniuscujusque personæ solum potest esse principium merendi de condigno vitam æternam personæ ecri inest, non vero aliis. Probatur consequentia, tum quia supra diximus justum solum posse mereri illam coronam justitiæ, quæ sit etiam hæreditas, tum etiam quia opera a tali gratia procedentia non possunt habere valorem et condignitatem cum gloria alteri conferenda, cum non possint ad illam ordinari tanquam ad hæreditatem debitam merenti, ratione suæ gratiæ. In quo potest aliquod discrimen inter Christum et alios puros homines considerari; nam Christo propter gratiam unionis debita erat tota congregatio justorum tanquam ejus hæreditas, juxta illud Psalm. 2: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*; et ideo potuit tam Angelis quam hominibus gratiam mereri; est enim gratia unionis ex vi suæ excellentiæ gratia capitalis (ut sic dicam) et universalis in influendo, quod non habet ulla gratia personæ create.

6. *Ejus insufficientia, si divina ordinatio non adjungatur.* — Atque hæc quidem ratio optima congruentia est divinæ ordinationis;

tamen sine hac non potest esse adæquata, vel sufficiens ratio, ut ex dicendis patebit. Unde imprimis falsum est opera unius justii non habere sufficientem condignitatem, et proportionem cum gloria alterius, vel gratia, in proportionato gradu sumpta. Nam gloria eo quod sit propria, vel alterius, in se non est major aut minor, si cætera sint paria; ergo, si opus justii ex charitate profectum habet condignitatem cum aliqua gloria operanti reddenda, eandem haberet cum simili gloria, etiamsi esset reddenda alteri, nam quod est æquale uni ex duobus inter se æqualibus, etiam est æquale alteri. Neque obstat potest quod gratia quasi ex naturali inclinatione tendat ad propriam beatitudinem habentis illam, et non alterius, quia hoc est verum de appetitu innato, seu de connaturali debito. Hoc autem solum non sufficit ad meritum de condigno, sine divina ordinatione, ut capite sequenti dicemus. E contra vero, si divina ordinatio ponatur, illa sufficit sine illa peculiari habitudine, seu connaturalitate, si aliqui in opere ipso dignitas et proportio inveniantur, ut magis statim declarabo.

7. *Propria assertionis ratio est prædicta ordinatio.* — Dico ergo adæquatam rationem esse, ob quam unus justus non potest alteri gloriam mereri de condigno, quia Deus non ordinavit, nec proposuit alicui ut præmium gloriam alterius, sed tantum propriam; nemo autem in stadio currens potest mereri aliud bravium, nisi quod a supremo gubernatore in præmium est vincens propositum. Et hæc est sententia communis Theologorum, quos allegavi supra, et disputat. 4 de Incarnatione, sect. 7, et in particulari sequitur Medina, dicta quæst. 124, art. 6, et ibi alii moderni, et Valent., punct. ultim. totius tom. 2. Congruentia autem hujus divinæ ordinationis, præter insinuatam in ratione secunda, scilicet, quod gratia creata unius hominis non influit ex natura sua in alios, nec constituit unum hominem caput aliorum, reddi potest alia, quæ sumitur ex D. Thoma in 4, d. 20 et 43, quia meritum de condigno esse debet quasi dispositio conveniens ad propriam sanctificationem ejus, cui gloria conferenda est; nullus autem potest recte disponi per actiones alterius, quia dispositio esse debet affectio intrinseca ejus, qui disponitur. Unde sicut nemo potest fieri studiosus per opera alterius, ita neque disponi ad majorem sanctitatem. Hæc autem congruentia maxime

habet locum respectu adultorum, non vero videtur ita efficax respectu parvulorum, et ideo Christus his meruit gratiam dandam sine dispositione eorum, per instrumentum ab ipso institutum, adultis vero non meruit gratiam, nisi merendo simul dispositionem, et auxilium ad illam. Nihilominus tamen ad utrosque potest ratio accommodari, quia opera justorum non merentur, nisi simul disponendo ad præmium gloriæ, et ideo non merentur parvulo, quem non possunt disponere, neque etiam merentur de condigno adulto aliam dispositionem, quia etiam justus non meretur sibi novam dispositionem, sed per se bene disponendo, et afficiendo personam, præmium etiam sibi proportionatum merentur. Demum addi potest alia congruentia, quæ hanc magis declarat, quia meritum cuiuslibet justii finitum est, ideoque cuiuslibet operi ejus definitum præmium gloriæ et gratiæ respondet, ideoque non posset quis de condigno alteri gloriam mereri, quin simili gradu gratiæ et gloriæ seipsum privaret, quia fieri non potest ut aliquis simul et sibi mereatur totam gloriam condigne respondentem operi suo, et aliam gloriam alteri; sic enim præmium excederet proportionem operis; ergo, ut alteri posset mereri gloriam, deberet seipsum simili gloria privare. Hoc autem per se statim apparet indebitus ordo, et minime consentaneus charitati, nec affectui, quem ad propriam sanctitatem et gratiam coram Deo unusquisque habere tenetur. Merito ergo ita Deus ordinavit essentialia præmia meritorum, ut unusquisque sibi soli illud possit mereri.

8. *Ad primum argumentum in n. 1. — Ad secundum. — Ad tertium.* — Atque in hunc modum explicata ratio hujus veritatis, facile dissolvit rationes dubitandi in principio positas. Ad primam enim dicimus, non sufficere quod jus ad præmium sit aliquo modo proprium bene operantis, quia illud jus ex divina ordinatione definitum est ad propriam gloriam merentis. Unde etiam dici potest prohibitam esse alienationem, vel liberalem donationem talis juris; tum quia esset contra debitum ordinem charitatis; tum etiam quia esset ultra modum et ordinem a Deo statutum, nam esset postulare præmium operibus non promissum. Ad secundum de comparatione meriti ad satisfactionem, respondetur etiam ex dictis, non esse similem rationem, nam remissio pœnæ temporalis, pro qua fit satisfactio, non pertinet per se ad majorem

vel minorem sanctitatem animæ, sicut justificatio, vel nova acceptatio ad gloriam, quæ semper in sanctitate intrinseca fundatur. Et ideo, quamvis in merito de condigno non fuerit conveniens esse communicationem inter justos, nihilominus meritum ordinavit Deus, ut in satisfactionibus esse posset, ita ut possit unus justus suam satisfactionem pro altero efficaciter offerre, et seipsum privare remissione illius tali satisfactioni correspondente, ut alteri prosit, quia reatus pœnæ, qui manet remissa culpa, non minuit sanctitatem, nec jam pertinet ad malum culpæ, sed ad malum pœnæ, et ideo non est contra charitatem Dei, vel sui, se privare pro tunc illa remissione pœnæ. Neque etiam ex parte alterius hoc repugnat, quia remissio pœnæ non fit per dona intrinseca, nec per augmentum sanctitatis; utrumque autem longe aliter in merito invenitur, ut jam explicavi, et dixi etiam in 4 tomo de Pœnitent., disput. 47, sect. 2. Tertium erat de exemplo Christi; ex dictis etiam colligitur multiplex diversitas, nam in Christo certissime constat de divina ordinatione, quia missus est ut esset aliorum sanctificator et redemptor: deinde, illa ordinatio habet altius et specialius fundamentum in Christo, quam habere posset in quacunque persona creata, propter gratiam unionis, et meriti infinitatem; hinc denique tale meritum pro aliis, nullum incommodum potuit Christo afferre, sed magnam gloriam et dignitatem; tum quia ille non fuit justificatus, vel glorificatus ex meritis, sed ut propriam et connaturalem gloriam et sanctitatem habuit, et ita donando aliis sua merita, nullo se bono spiritali privavit; tum etiam quia meritum ejus fuit infinitum, et ideo, quamvis per proprium meritum esset consecuturus essentialem gloriam, posset illam sibi et aliis integre mereri; nulla est ergo comparatio seu similitudo.

9. *An extendatur assertio hactenus probata ad quodvis aliud præmium ab essentiali? — Responsio affirmans.* — Duo vero brevia dubia explicanda supersunt. Primum est, an hoc quod diximus de merito essentialis præmii gloriæ intelligendum etiam sit de quocumque alio dono gratiæ, et de quovis præmio accidentali. Ad quod breviter respondeo, assertionem esse universaliter intelligendam. Ita sentit D. Thomas in dicto artic. 5, et reliqui Theologi, qui et absolute negant posse unum justum mereri alteri de condigno, et quoties affirmant unum posse mereri aliquid alteri,

quicquid illud sit, de merito de congruo illud declarant. Ratione declaratur breviter ex dictis, quia de habituali gratiæ vel augmento ejus eadem ratio est quæ de gloria; tum quia et gloria respondet gratiæ, et non acceptatur quis ad gloriam, vel majorem gloriam, nisi per infusionem vel augmentum gratiæ, et ideo nemo meretur etiam sibi augmentum gloriæ, nisi merendo gratiæ augmentum, quæ omnia in l. 9, cap. 2, ostensa sunt. Unde etiam e contrario non potest sibi mereri gratiam, vel augmentum ejus, quin simili modo gloriam mereatur. Ergo multo magis respectu alterius non potest quispiam ei mereri gratiam, cui non potest mereri gloriam. Hæc autem ratio, quæ immediate de gratiæ sanctificante procedit, consequenter idem probat de charitate, quæ eandem omnino proportionem servat cum gratiæ, et consequenter de aliis virtutibus et donis per se connexis cum charitate et gratiæ, ut in eodem lib. 9, c. 4, declaratum est. Ulterius vero idem dicendum est de habitibus fidei et spei; non enim potest unus justus alteri mereri, ut habitus fidei ejus augeatur sine actu fidei vel proprio merito alterius, quia, licet illi habitus non sint ita connexi cum gratiæ, quin sint separabiles ab illa, nihilominus pertinent ad substantialem justitiam, et bonam suscipientis dispositionem postulant, ideoque eadem est de illis ratio. Neque etiam potest unus justus alteri mereri de condigno auxilia gratiæ, quia hæc non dantur nisi in ordine ad vitæ æternæ consecutionem, et ideo qui non potest alteri illum finem de condigno mereri, nec media ad illum finem eidem mereri potest. Ac denique eadem ratione non potest quis mereri alteri de condigno accidentalem gloriam, quia hæc non datur nisi ut proprietas consequens gloriam essentialem, et ideo supponit meritum ejus, ut supra in simili argumentatus sum.

10. *Ratio facta n. 7, ad præsens institutum applicatur.* — Ultimo habet hic locum principalis ratio supra facta, quod ad omne meritum de condigno necessaria est divina lex, quæ unum, tanquam meritum, ad aliud tanquam præmium ordinaverit; in præsentem autem nulla est talis ordinatio divina, neque ostendi potest.

11. *An procedat prædicta assertio etiam de potentia absoluta? et affirmant aliqui.* — Secundum dubium est, an id, quod diximus, unum justum non posse mereri alteri de condigno, verum sit tantum de potentia ordinaria, vel etiam de absoluta. Aliqui enim mo-

derni negant hoc fieri posse etiam de potentia absoluta propter fundamentum supra tactum, quod meritum de condigno non pendet ex ordinatione divina, sed ex intrinseca dignitate operis, quam Deus sola sua voluntate supplere non potest, si actui secundum se spectato non insit; sed actus unius justus non habet condignitatem, et proportionem cum præmio, præsertim gloriæ vel gratiæ, alterius; ergo. Confirmari hoc potest illa congruentia, quod tale meritum esset repugnans ordini charitatis; quod autem hujusmodi est etiam repugnat ordinationi divinæ; nam quæ a Deo sunt, ordinatissima sunt. Assumptum declaratur, nam in casu illo de potentia absoluta, vel Deus statueret ut homo eodem actu sibi mereretur adæquatam præmium, et simul mereretur alteri, et hoc esset supra dignitatem operis, et sic non esset de condigno; vel statueret ut homo alteri posset dare præmium suorum operum, et seipsum illo privare, et hoc esset contra ordinem charitatis, et rectam rationem.

12. *Vera responsio.* — Nihilominus resolve potuisse Deum, si vellet, hanc rationem merendi de condigno inter homines instituere, et dare uni dignitatem, et vires gratiæ sufficientes ad merendum alteri gratiam, et gloriam, et remissionem peccatorum de condigno. Hæc tractatur latius in tertia parte, quæstione prima, articulo secundo, ubi disput. quinta, sectione septima, id docui, et divi Thomæ et antiquorum Theologorum doctrinam esse ostendi, quos nunc propterea omitto. Idem sequuntur moderni expositores divi Thomæ, ad illum art. 6, quæst. 114. Sic enim sentit Medina, dub. 8, cum ait in homine justo inveniri dignitatem operantis, et proportionem operis cum præmio, deesse autem divinam ordinationem respectu alterius. Nam ex hoc principio sequitur evidenter resolutio posita, quam in 3 art. idem auctor tradiderat. Item Cumelius, dicto art. 7, § *Divi in superioribus*, ubi æquiparat illud meritum condignum de potentia absoluta cum merito, quo nunc unusquisque sibi meretur. Idem tenet Lorca, dicto art. 6, dicens non magis excedere valorem operum gratiæ gloriam alterius, quam gloriam operantis. Idem Valentia, dicto punct. ult., qui etiam addit potuisse Christum de potentia absoluta mereri hominibus gratiam et modum quo unus posset alteri de condigno mereri.

13. *Ejus ratio.* — Fundamentum hujus resolutionis in dictis circa rationem secun-

dam continetur, scilicet, quod nec ex parte personæ merentis, nec ex parte operum ejus invenitur defectus proportionis, aut condignitatis, sed solius tantum ordinis connaturalis, quem facile potest Deus sua ordinatione supplere. Unde ex hac parte non invenitur repugnantia, ut dixi. Et licet sola extrinseca voluntas Dei non det operi dignitatem, nihilominus opus ex se dignum potest ad hoc vel illud præmium, connaturalem habens proportionem, vel omnino extrinsecum, dummodo non excedat valorem operis, pro suo arbitrio ordinare, imo etiam posset opus quantumvis de se dignum ad nullum præmium ordinare, ut in sequentibus capitibus videbimus. Neque etiam est repugnantia ex parte alterius, cui dandum est præmium. Nam si ille sit justus, facile posset alter illi mereri augmentum gratiæ, quod posset Deus illi conferre sine propria dispositione per actum proprium, quia, licet hic modus augmenti gratiæ congruentior videatur, posset Deus illum non observare secundum aliud consilium voluntatis suæ; vel etiam posset non reddere illud præmium usque ad statum gloriæ, ubi nova dispositio non postulatur. Si autem ille alter, cui justus meretur, esset in peccato mortali (ut originale omittam), non posset sine novo miraculo unus mereri primam gratiam, nisi merendo ei simul dispositionem ad illam, et ad remissionem peccati; posset autem facile etiam ad talem dispositionem meritum ordinare, si Deus vellet. Vel cum de potentia absoluta possit Deus remittere peccatum per infusionem habitus, sine actuali dispositione peccatoris, etiam posset ad hunc modum remissionis sub conditione meriti alterius se obligare. Nec denique ex ordine charitatis, vel ex aliqua alia indecentia, quæ in tali institutione invenitur, ulla repugnantia recte cogitatur; nam imprimis posset Deus alicui homini excellentem aliquem gradum gratiæ conferre gratis, et sine illius merito, prædestinando illum ad tantam gratiam, et non majorem, et obligare illum ad merendum aliis. In hac vero institutione, nihil est ex parte Dei quod non deceat bonitatem ejus et justitiam, nec ex parte hominis esset aliqua inordinatio, quia ipse supponitur jam esse gratus Deo, quantum Deus voluit et ordinavit; ergo nihil præter charitatem propriam, et multum juxta proximi charitatem ageret pro aliis merendo. Simili modo posset Deus homini præfigere certum tempus ad merendum pro se, et aliud

postea concedere ad merendum pro aliis. Imo etiam (licet difficilius appareat), postquam justificavit hominem, liberam facultatem illi facere, vel merendi sibi augmentum gratiæ et gloriæ, vel merendi aliis, et tunc, licet talis homo merendo aliis, et privando se illo augmento, nimis liberaliter ageret, non tamen peccaret; tum quia non tenetur quis semper suis operibus in gratiæ crescere; tum etiam quia in casu supponitur divina facultas, seu licentia sic operandi; ergo tale opus esset vere meritorium alteri, quia nulla interveniret malitia, quæ illud impediret. Ex his ergo omnibus concluditur communis ratio in his quæstionibus de potentia absoluta, quia ubi non ostenditur implicatio contradictionis, neque aliud repugnans rebus ipsis, vel divinæ Sapientiæ, aut aliis attributis Dei, non est negandum fieri posse a Deo, ut ex ipsius omnipotentia evidens est; sed in hoc opere, de quo tractamus, nec implicatio, nec talis repugnantia invenitur, ut discursu facto ostensum est; ergo sine dubio potest a Deo fieri, et rationibus in contrarium factis n. 11 satis responsum est.

CAPUT XVII.

UTRUM DIVINA ORDINATIO ET QUASI LEX POSITIVA DEI SIT AD MERITUM DE CONDIGNO NECESSARIA?

1. *Ordinatio et promissio non idem.* — Explicatis conditionibus ad meritum necessariis ex parte operum et personæ, vel personarum merentium, et quibus meretur, superest explicandum quid ex parte Dei, apud quem, et a quo meremur, necessarium sit ut nostra opera habeant vim et efficaciam meriti de condigno. Duo autem tantum possunt in præsentem cogitari. Unum est ordinatio, seu institutio divina, qua voluerit tale opus ad tale præmium ordinare. Aliud est divina promissio, qua se obligaverit ad dandum tale præmium sic operanti. Imo Theologi vix inter hæc distinguunt, ideoque sub una quæstione utrumque concludunt, tamen in rigore diversa sunt; nam posset esse ordinatio sine promissione, statuendo condiciones sufficientes ad meritum, et nihilominus non se obligando ad dandum præmium, sed liberalitati suæ hoc reservando, quamvis e contrario non possit esse promissio præmii sine prævia ordinatione meriti, si ad substantiam ejus necessaria est; et ideo ad majorem claritatem